



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titvlvs XXXIV. De Voto & Voti Redemptione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

OBJICIES. Matrimonium consummatum non solvitur per ingtessum religionis; ergo nec ratum. Respond. Conc. Anteced. Neg. conseq. Prius enim repræsentat conjunctionem Christi cum Ecclesiâ quæ insolubilis est; hoc verò cum animâ fidei, quæ solvi potest, & læpius æterno ipsius animæ detrimento solvitur.

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

QUÆRES. Quænam circâ infideles hoc titulo statuta reperiantur? Respond. Duo sunt singulariter quoad infideles, idest, eos qui per baptismum nunquam ingressi sunt ecclesiâ, observanda: Primum est, si ejusmodi vir infidelis maritum mulieris fidelis, intervenientibus ipsius mulieris infidiis occiderit, matrimonium cum eâ contrahere non possit, etiamsi ad fidem Christianam convertatur *cap. 1. b. t.* alterum est, quod si conjugum infidelium unus ad fidem convertatur, altero in infidelitate manente, proles converso potius assignanda sit, ne ab infideli inducatur in errorem *cap. 2. b. t.*

TITVLVS XXXIV.

De Voto & Voti Redemptione.

QUÆRES I. Quid sit Votum? Respond. Votum a voluntate dictum est *promissio Deo*
Bb *delibe.*

deliberatò facta de l. no possibili meliori. Dicitur
Deo facta, vovere enim est Deo aliquid sanctè pro-
mittere, unde quod homini promittitur, votum
non dicitur. Dicitur 2. *deliberatè*, requiritur enim
liberè & perfecta deliberatio, uti & libertas in voto
est. Dicitur 3. *de bono possibili*; impossibile enim
non datur obligatio. Dicitur 4. *de bono meliori*
id est, res debet voveri quæ melior sit quàm
oppositum, ideoque non valet votum de non ingre-
diendo religionem quia ejus oppositum melius
& Deo gratius.

QUÆRES 2. Quotuplex sit votum? Re-
spond. Dividitur 1. *In solenne & simplex.* Solen-
ne dicitur quod ex dispositione Juris perpetuam
voti obligationem imponit, quæ relaxari
remitti non potest, eumque ad actus voto repug-
nantes inhabilem reddit; simplex est quod ex
juris dispositione talem vim non habet, dividitur
2. *In purum & condittonatum*; illud absolute emit-
titur, hoc non obligat, nisi impleatur conditio sub
qua emissum est. 3. *In expressum & tacitum*; illud
verbis vel scripturâ fit, hoc sine scripturâ & verbis.
4. *In reale personale & mixtum*; in reali res, v. gr.
elemosynæ, in personali actio voventis, v. gr. pe-
regrinatio, in mixto tam res quam actio, v. gr. pe-
regrinatio cum oblatione vovetur.

QUÆRES 3. Quis sit voti effectus? Re-
spond. Effectus voti est obligatio, votum enim se-
mel emissum, nisi relaxetur, necessariò implendum
est; Solvitur autem votum: Primo defectu ma-
teriæ, si bona aut possibilis esse desinat. 2. Defec-
tu conditionis, ut si conditio sub qua votum emit-
tebatur non eveniat, *can. non solum cau. 22. quest. 8.*

3. Irrig-

3. Irritatione. Si nimirum obligatio voti aliquo modo ab alterius voluntate dependeat, qui eam approbare nolit. Ita irritantur à Præfato omnia vota religiosorum; vota impuberum à parentibus. Servorum à Dominis, & mulierum à maritis. 4. Commutatione, commutare autem potest quilibet qui dispensare; & cuicunque permissum est, votum suum in id, quod manifestè melius est, commutare, *cap. 3 de Iurejur.* ideòque omne votum simplex in votum solenne religionis propria auctoritate commutari potest. 5. Denique dispensatione; omni enim voto inest hæc conditio nisi superior dispensaverit.

OBJECIES. Votum solenne & simplex apud Deum æqualiter obligant voventem. *cap. rursum. qui Cleric. vel vovent.* ergò sicut solenne propria auctoritate commutari nequit, ita nec simplex. Respond. Obligant æqualiter, quantum ad culpam mortalem. Conc. quantum ad commutationem. Nego.

TITULUS XXXV.

De

Statu Monachorum & Canonico- rum Regularium.

QUÆRES. In quo status monachorum consistat? Resp. Nomen status hinc strictè accipitur pro ea tantum conditione vivendi, quâ quis alteri perpetuo & stabiliter obligatur, quorum tres à S. Thoma in Ecclesiâ statuntur, videl. Episcoporum, religiosorum, & conjugum. Status igitur religiosorum est ipsa conditio vitæ monasticæ immobilis, qua vis superioribus re-

Bb 2

ligio-